



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Antonini Diana Panormitani, Cler. Reg. & S. Officij
in Regno Sicil. Consultoris, Practicæ Resolutiones
Lectissimorum Casuum**

Diana, Antonino

Antverpiæ, 1645

F.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41753

18 Phrenetici in articulo mortis si administrationi extreme vñtionis resistant, ligandi sunt, vel fortiter tenendi: imò id necessarium erit quoties alia sacramenta suscipere non possunt. Granad. & alij 8. p. 5. tr. 3. ref. 84.

F.

FALSARIUS.

1 **N**on est falsarius qui mutat scripturam in aliquâ re quæ nititur veritate, vt si testis aliquis subscripserat, & postea amisso instrumento alioque confecto, subscribat alius nomine illius testis. & sic de aliis. Gypt. & alij 6. p. 5. tr. 14. ref. 40.

2 Amisso testamento, vel alio instrumento publico, non licet confingere aliud simile: quia eiusmodi falsificationes licet nemini priuato faciant iniuriam, sunt tamen reipub. perniciosæ. Couarr. & alij 2. p. 3. tr. 6. ref. 56.

Fama.

1 **O**bscuro verum crimen, sed ita occultum vt alter peccet mortaliter illud euulgando, licet dicere: *mentis;*

tiris; hoc enim significat me non ita admisisse, ut ab aliis sciatur. Imò constantes non credant illū esse mendacem. Hurtad. p. 5. tr. 13. ref. 20.

2 Qui affectus iniuriā, magnam famam iacturam faceret, si fugientem non persequeretur, potest persequi inuasorem, & percutere, imò & occidere, si opus sit ad sui honoris reparationem, modo absit odium, appetitus vindictæ, & excessus. Henriquez & alij 6. p. 2. tract. 11. ref. 15. & p. 5. tr. 4. ref. 11.

3 Qui alium occidit cum moderamine inculpatae tutelæ, cum posset fugiendo vitam seruare, non peccat, nec incidit in irregularitatem, si non potest fugere sine graui infamiā. Suarez & alij 3. p. 2. tr. 15. ref. 16. Non tamen licet præuenire & occidere inimicum paratum ad inuadendum, donec actu inuadat; quia nemini privato licet alium occidere, nisi ad necessariam defensionem. Syluius contra Bannez p. 3. tr. 5. ref. 90.

4 Licet clam occidere eum qui in iudicio conatur aliquem calumniis opprimere in causā magni momenti, quia hoc non tam est occidere, quam se defendere;

fendere; iure tamen positivo prohiberi id potest, & re ipsa prohibitum est, nam talis occisor deprehensus, morte multatur, ut obuiam eatur infinitis caedibus, quæ sub prætextu tuendæ famæ, aut vitæ perpetrarentur. Coninc & alij 4. *ibid.* ref. 97. & p. 5. tr. 4. ref. 7.

5. Moriturus qui non vult restituere famam, sed tantum post mortem suam eam vult restitui à confessario, non potest absolui. p. 5. tr. 3. ref. 104.

Famulus.

1. **S**I famulus ad annum conductus discedat ante tempus, debetur ei merces temporis quo seruiuit, nisi domini multum interesset eum diutius morari. *Rebell. & alij 3. p. 3. tr. 6. ref. 15.*

2. Dominus non tenetur soluere salarium famulo infirmo quamdiu erit infirmus, nisi sit in extremâ, vel graui necessitate, tunc enim teneretur ex caritate. Imò potest ab eo exigere sumptus in eo curando factos. *Molina & alij 8. p. 1. tr. 8. ref. 86.*

Festum.

1. **I**ter agere non est opus seruile, siue pedibus, siue equo fiat. *Suar. & alij 3.*

Imò

Imò nec venatio ferarum prohibetur die festo, etsi fiat propter lucrum; neque piscatio, nisi quæ fit deferentia retia, remigando, & similem laborem exercendo, atque ita tota posita est in corporis defatigatione. Granad. & alij. *p. 4. tr. 4. ref. 222.*

2 Diebus festis docere artem gladiariam, vel exercere, non est contra præceptum. Granad. & alij. neque si cum famulis cõputum in eas, & mercedem soluas. *ibid. ref. 230. & p. 5. tr. 13. ref. 83.*

3 Typographi die festo characteres ordinantes, non violant præceptum Ecclesie: sed ipsa librorum impressio sæuile est opus. Layman & Homobon. *p. 4. tr. 4. ref. 62.*

4 Notarij, Commissarij, & alij Officiales Curie, diebus festis transcribentes acta; Item qui sermones Concionatorum, & allegationes Doctorum mercede transcribunt, non videntur peccare mortaliter: talis enim actio de se est mentalis & spiritalis, & per accidens est quòd hac, vel illâ intentione fiat. Suarez & alij *5. p. 2. tr. 15. ref. 35.*

5 Agasones; seu muliones qui auditu sacro cum iumentis oneratis itinere committunt, non peccant mortaliter.

quia in oneribus leuandis & imponendis (quod est opus seruile) non multum temporis consumunt: ergo ob paruitatem materiæ à peccato mortali excusantur. Paruitas autem materiæ excusans à peccato mortali, est spatium duarum horarum (Filliuc.) vel etiam triū; quia censeri debet notabilis pars diei, vnde aliqui tertiam, aut quartam partem diei requirunt. Marchant. *ibid.* ref. 36. & p. 5. tr. 5. ref. 6.

6 Rustici qui diebus festis inter se contractus celebrant, & Notarij qui adsunt, non peccant, modò absit scandalum: quia necessitas illos excusat, cū aliis diebus operi sint intenti. Caietan. & alij 3. Item tonsores qui festis diebus tondent, & radunt nouaculâ, qui que ad tonstrinam accedunt, ratione consuetudinis, quæ toleratur à Prælati, & ratione lucri cessantis; quia aliis diebus propter occupationes, tondendi non accedunt. Fernandez p. 2. tr. 15. ref. 34.

7 Opera seruilia quæ fiunt ob pietatē, v.g. eleemosynam, non sunt tamen licita diebus festis. (Fagund. & alij 4.) quamuis multi contrarium doceant, saltem quando secretò fiunt, vt suere, &c. non autem si publicè, vt ædifica-

re. Villalobos & alij 6. p. 4. tr. 4. ref. 177.
 8 Puellas laborantes diebus festis ad
 vitandam otiositatem, excusari docet
 Villalob. & alij 5. Item facere recamatu-
 ras siue acupingere, non esse servile
 magis quam penicillo pingere docet
 Azor. & alij 3. sed an probabiliter cu-
 cogita. p. 6. tr. 6. ref. 15.

9 Servo infideli possunt imponi ope-
 ra servilia die festo. p. 5. tr. 14. ref. 7.

10 Concedere licentiam diebus festis
 vacandi operibus servilibus, spectat ad
 solum Episcopum, non autem ad iudi-
 ces seculares, neque hi punire possunt,
 quibus Episcopus eam licentiam con-
 cesserit. Homobon. & alij 2. p. 4. tr. 11.
 resol. 94.

Feudum.

MVtus, & surdus non succedunt in
 feuda, nisi servitium domino pra-
 standum sit tale ut à quovis sanæ me-
 tis præstari possit p. 5. tr. 6. ref. 21.

Fides.

Ignorantia crassa, & vincibilis my-
 steriorum fidei, est speciale pecca-
 tum in confessione explicandum; Est
 enim negligentia addiscendi articulos
 fidei, quæ opponitur virtuti studiosita-
 tis

tis. Vasq. & alij 5. Probabile tamen est, eum qui ignorat vincibiliter plures articulos fidei, vnum tantum peccatum committere. Suarez *p. 3. tr. 4. res. 165.*

2 Explicita fides Incarnationis, SS. Trinitatis, Circumcisionis, Resurrectionis, &c. non est adultis necessarium medium ad salutem. Turrian. & alij 6. Quod attinet ad Sacramenta, omnes explicitè scire debent substantiam Baptismi, Eucharistiæ, & Pœnitentiæ: de ceteris idem dicendum, si quis ea suscipere voluerit. Suarez & alij 4. Item adulti nescientes se signare signo Crucis, (Sanchez.) aut nescientes Symbolum Apostolorum, Decalogum, Orationem Dominicam, dummodò eorum substantiam sciant, venialiter tantum peccant. Suarez & alij 3. Hortandi sunt tamen, vt illa omnia explicitè sciant, & memoriâ teneant. *p. 3. tract. 5. res. 46. & 48.*

3 Præceptum de profitendâ fide non semper obligat, ad respondendum infideli interroganti an sis Christianus, sed tunc quando dissimulatio fidei cederet in iniuriam rei Christianæ, aut in scandalum proximi. Imò etiam tunc licetcludere aliquâ ratione, non tamen negare

gare se esse Christianum. *Filliuc. 24. ref. 49.*

4 Professio fidei quando faciendâ potest fieri per procuratorem. *Villalob. & alij 16. p. 5. tr. 14. ref. 23.*

5 In Terris Turcarum licet vti pileo Turcico ad vitandum periculum mortis, aut iustam de hoste victoriam reportandum, vel ob aliam causam gravem, & necessariam. Imò & vsurpare vestes, vel signa instituta ad cultum, & cæremonias falsæ legis. *Sanch. & alij 6.* quia huiusmodi vestes per se, & directè non sunt signa protestatiua falsæ religionis, sed sunt res ex se indifferentes. Hinc potest aliquis Romæ gellare pileum cum signo flauo more Iudæorum, vt dum quæritur ad necem, incognitus effugiat. *Suar. & alij 7.* Ex simili causâ licebit inter hæreticos carnes comedere diebus vetitis; quia per hoc non potes præsumi fidem negare, sed solùm te voluisse occultare. *Sanch. & alij 6. part. 3. tr. 5. ref. 49. & p. 5. tr. 7. ref. 33. 34. & 35.*

Furtum.

1 Probabile est, in graui necessitate licere furari aliena occultè: vt enim diues

diues in hoc casu tenetur dare, ita pauper potest accipere absque iniuriâ; neque diues in hoc casu potest esse rationabiliter inuitus nisi circa modum, quia pauper maluit furari, quàm petere. Vasquez & alij 13. Aliud esset, si plures essent in simili necessitate, & diues non teneretur omnes iuuare; sicut enim diues tunc non tenetur huic in particulari dare, ita neque ipse potest rapere. *p. 2. tr. 17. res. 29. & p. 5. tr. 8. res. 23.*

2 Vir honestus cui grauissimum esset mendicare, neque alia suppeteret ratio accipiendi necessaria, posset ea clam rapere. Bannez *p. 5. tr. 8. res. 24.*

3 Christiani quibus possunt à Turcis rapere eorum bona, ex consensu tacito Principum Christianorum, titulo iusti belli, nisi tamen impediuntur pacto cōcordiæ, vel salui conductus. Molin. & alij *Ibid. tr. 13. res. 98. & p. 6. tr. 4. res. 14.*

4 Quantitas requisita ad furtum vt sit peccatum mortale, respectu diuitum, est circiter 60. assium: respectu personarum communium, circiter 20. assium: respectu pauperum, circiter 7. assium. Nauarra & Reginald. *p. 2. tr. 17. res. 57.*

5 Quando plures alicui graue damnum inferunt per minuta furta à singulis

R 3

seorsim

seorsim commissa, ita ut nullus aliam
 iniuret, non peccant mortaliter, quia
 singuli leue damnum inferunt: neque
 sibi mutuam opem prebent, nec alter
 alteri est causa furandi. Sanchez & alij
 4. *ibid.* ref. 42.

6 Fur seu quiuis iniquus possessor rei
 alienæ, tenetur præter rem ipsam, resti-
 tuere æstimationem illius pretij, quo
 dominus eam vendidisset, si erat eam
 venditurus in optimo statu, vel summa
 æstimatione. Secus autem si eam non
 erat venditurus; nam tunc sufficit re-
 stituere rem utri est, modò non sit effe-
 cta deterior, vel minoris pretij, & quod
 non contigisset, si res mansisset apud
 verum dominum. Lessius & alij 4. *ibid.*
 ref. 51. Si autem ignoratur quo tempo-
 re dominus esset illam venditurus, re-
 stitutio facienda erit iuxta pretium
 medium inter summam, & infimum.
 Turrianus. *ibid.* ref. 52.

7 Qui mulam furatus aliis eam elo-
 cauit, tenetur restituere etiam pretium
 locationis. Sanchez & alij 7. Sæpè tamẽ
 fit, ut cum dominus rei est vir diues,
 senseri possit, non velle illud pretium
 locationis. Lessius. *ibid.* ref. 50.

8 Furtum rei non sacre in loco sacro,
 nisi

nisi
 pot
 v.g.
 res
 ide
 fia.
 9
 cur
 no
 cur
 17.
 10
 ris,
 à p
 ber
 lud
 test
 ner
 tar
 per
 Lay
 11
 fide
 nos
 fac
 era
 riu
 alij
 12

nisi sit ibi deposita quasi sub iure, & potestate Ecclesie, non est sacrilegium, v.g. furtum crumenæ in Ecclesia. Quia res illa est in Ecclesia quasi per accidens: ideoque non fit specialis iniuria Ecclesie. Fagundez & alij 6.p.1.tr.7.ref.27.

9 Qui inuenit crumenam plenam pecunijs & adhibita sufficienti diligentia, non reperit dominum, potest illas pecunias sibi retinere. Sotus & alij 5.p.2.tr.17.ref.5.

10 Filius, v.g. cauponis, aut mercatoris, qui patris bona administrat, potest à patre salarium exigere, quantum deberet extraneo alicui dare, quod si illud non possit à patre impetrare, potest clam accipere ad iustam æstimationem laboris, & industriæ suæ, computatis tamen in dicta æstimatione expensis, quas pater fecit in illo alendo. Layman & alij.p.4.tr.4.ref.66.

11 Probabilius videtur eum qui bonâ fide comedit apud furem cibos furtiuos, teneri restituere domino id in quo factus est ditior, parcens iis quæ domi erat expensurus. (Sanchez.) Sed contrarium etiam est probabile. Bannez & alij 2.p.3.tr.5.ref.43.

12 Probabile est licere emere à sartoribus

bus magistris, non autem ab eorum simulis, fragmenta quæ supersunt ex vestibus, ubi illi ea iustè retinent ideò, quia aliàs non possunt impetrare plenam mercedem. Sanch. Sed contrarium est probabilius. Villalob p. 4. tr. 4. res. 176.
 13 Quando quis iniustum damnù alteri inferre decreuerat, et si consilio, vel hortatu tuo eum confirmasti, atque ita causa fuisti ut citiùs, vel expeditiùs damnus inferretur, non teneris ad restitutionem: sicut neque si furandi gratiã adscendenti scalam teneas, quam etsi nemo teneret, tamen adscenderet, & si asportando rem furtivam illum adiuvet, quam sine tuâ ope auferret tamen: quia in his omnibus non es causa furti, sed tantùm modi, aut circumstantiæ. Quòd si hortatu tuo fuisti causa, ut maius damnus inferretur, teneris tantùm de excessu. Layman. p. 3. tr. 5. res. 47.

14 Custodes portarum, silvarum, &c. non tenentur ante sententiam iudicis restituere pœnam pecuniariam statutam in eos qui certi generis merces, vel ligna exportant, si eos non manifestet, sed dissimulent. Lessius & alij 4. Sicut nec qui furem videt furantem, nec impedit.

pedit: imò etsi aliquid à fure accipiat,
ne clamādo, vel aliâ ratione impediatur,
nisi ex officio teneatur impedire. Sotus
& Nauarr. *ibid. ref. 54.*

Vide *Restitutio.*

G
GABELLA.

1 **G**abella vt sit iusta, debet imponi
ob publicam vtilitatem, & pro-
portionaliter respectu subditorum.
Suarez, & alij 18. p. 1. tr. 3. ref. 2.

2 Qui imponunt gabellas super rebus
quæ emuntur, non ad negotiationem,
sed ad vsus vitæ necessarios, non inci-
dunt in excomm. Bullæ Cœnæ, quia hæ
gabellæ non sunt iniustæ, cùm in illis,
quantum fieri potest, seruetur æqua-
litas. *Suarez & alij 3. p. 1. tr. 11. ref. 38.*

Vide *Ecclesiastic. exemptio. Tributum.*

Gula.

1 **C**omedere, aut bibere absque ne-
cessitate ob solam voluptatem,
modò ne obsit valetudini, nō esse pec-
catum, affirmat Sancius, quia licitè po-
test appetitus naturalis frui suis acti-
bus. *p. 3. tr. 5. ref. 6.*

R 5

2 Et si